

prestitit, ut securi possent in Alsaciam pervenire. Hi cum prope dominium | comitum de Dockenburg pervenissent, ipsis omnia, que attulerant, abstulerunt. Comes Rûdolphus super hoc indignatus cives Turicenses et alios amicos atque vicinos induxit, ut eum contra comites de Dockenburg juvarent, quia vellet eos in eis fideliter vindicare. Qui gavisi magnum sibi adiutorium promiserunt. Comes<sup>h)</sup> vero exercitu congregato castrum Ůtzenberg<sup>i)</sup> <sup>35)</sup> violenter obsedit et res eorum ubique devastavit. Comites de Dockenburg se, ut poterant, defenderunt et multis septimanis viriliter tenuerunt. Et cum multa mala passi fuissent et obsidentibus peiora inimicis intulissent, tandem eis victualia defecerunt et castro derelicto cum corporibus recesserunt. Comes Rûdolphus habito castro destruxit et res eorum alias devastavit.

fol. 175r

Post imperatoris Friderici mortem imperii res, quas quilibet dominorum poterat assequi, confiscavit. Optinuit autem comes Rûdolphus Brisacum<sup>36)</sup> et per tempus aliquod in sua tenuit potestate. Venerabilis vero episcopus Basiliensis Hainricus<sup>37)</sup> dixit comiti Rûdolpho, quod Brisacum suum deberet esse, eo quod iure hereditario possedisset. Comes vero Rûdolphus respondit, quod si vellet sibi dare mille marcas argenti pro iure suo, permetteret castrum et castellum tradere se in episcopi potestatem. Episcopus vero dedit ei nongentas marcas et sic obtinuit civitatem<sup>38)</sup>. Habebat autem eam usque ad comitis Rûdolphi in Romanorum regem electionem. Postea vero sepe nominatus Rûdolphus cepit episcopum Basiliensem indebite molestare. Tunc episcopus accersito comite Rûdolpho ad eum dixit: Cognate, a vexacione mea quiesce et tibi adhuc centum marcas argenti voluntarie ministrabo. Comes per illum annum voluntarie quiescebat. Sed sequenti anno idem comes dominum episcopum cepit secundo perturbare, iterum<sup>k)</sup> dedit ei centum marcas, ut eum amplius non vexaret, et iterum<sup>l)</sup> a vexacione secundo quiescebat<sup>m)</sup>. Tercio anno peciit comes ab episcopo ducentas marcas, eo quod indigeret, esset enim multis debitis obligatus. Episcopus dixit: Esse de cetero tuus tributarius verecundor, cum ducentis marcis

240,  
28—35241,  
36—43

h) Hs. comite

l) Hs. iterum

i) Hs. Ůtzenberg

m) Hs. quiescebat

k) Hs. iterum

<sup>35)</sup> Utznaberg bei Uznach, Kanton St. Gallen, urkd. Uznaberg 1234; die Ann. Col. min. MGH SS, 17, 191, 40 geben als Jahr der Eroberung 1268 an, was nicht richtig ist. Vgl. Redlich, S. 111, Anm. 2.

<sup>36)</sup> Breisach am Rhein, urkd. Brisacum 1230, dt. Brisach 1237/54.

<sup>37)</sup> Heinrich von Neuenburg 1262—1274.

<sup>38)</sup> Vertrag fällt in das Jahr 1264. Sonst nicht erhalten.